

Hist. eccl.  
2566.

Rhepa.

E 2566

De religionis christiana in Lithuanorum  
gente primordiis.

Pars altera

# Feriis Paschalibus

Anni MDCCCXIX,  
in plam

Resurrectionis Jesu Christi  
memoriam, Academiae Regiomontanae  
Civibus

Prorectore, Cancellario, Directore et Senatu  
proponitur.



---

Regiomonti,  
Typis academicis Hartungianis, A. MDCCCXIX.



D e religionis christiana in Lithuania initis, ante complures annos, in hujus libelli parte priori ita egimus, ut testimonia pro sententia nostra e fontibus ipsis, id est, e hujus gentis scriptoribus vetustissimis a) aliisque Prussiae, Livoniae et Poloniae documentis hauriremus. Argumentis, ut nobis videtur, idoneis ibi comprobauimus, quod semina religionis christiana diu ante Jagellonis tempora inter Lithuanos sparsa sint, licet nouissimi historiae ecclesiasticae in Germania scriptores b) hujus populi baptismum ad illud solummodo tempus referant, quo Archiducatus Lithuaniae

a) *Matthias Strijkowski Ossostewicz*, primus Lithuanorum historiographus, e duodecim Mscptis Lithuanicis et compluribus Russicis, Livonicis et Polonicis hisstoricum opus: *Kronica Litewska etc. Regiom. Typ. Osterberg.* 1582. fol. concessit, quod accurate recensuit David Braun, de Scriptorum Poloniae et Prussiae virtutibus et vitiis, *Colon.* 1723. 4. pag. 36. his verbis: *M. Strijkowski, Canonicus Miednicensis in Samogitia, peragrata magna parte Europae et Asiae, variarum linguarum et nationum commercio, multis antiquitatum monumentis perlustratis, integro septennio, labore maximo, Chronicon Lithuanicum etc. composuit. Quo labore magnam laudem meruit, quia ante eum nemo tam amplam de Gentibus illis aggredi ausus sit historiam. Ideo dignissimus Author, quem *Albertus Wyjuk Kojalowicz* perpetuo compendio, nitidia Latinitate vertit.“ Vid. *Historia Lithuaniae Pars prior*, lib. IX. *Dantici* 1650. 4. Pars altera, libri VIII. *Antwerp.* 1669. *Alexander Guagnini* *Chronicon compendiosum Ducum ac Regum Polon. et Lithuaniae, una cum Descriptione Sarmatiae Europaea*, Crac. 1578. fol. edidit; quod opus totum e Strijkowskii *Chronico* (testante ipso Strijkowskio) descriptum est.*

b) *Joan. Matth. Schroeckh*, *Historia ecclesiast. ante Sacr. rep.* Tom. XXX. pag. 492—494. *Henr. Philip. Conr. Henke*, *Universalis christiana eccle-*

et regni Poloniae provinciae sub unius Imperatoris potestatem redi-  
gebantur. E rei ipsius natura patet, tantam populi commutationem  
non sine praevio diurno labore perfici, sed multum requiri tem-  
poris, quo via muniatur et animi ad novam rei conditionem rite  
conformentur. Etenim religio christiana ita comparata est, ut illius  
fundamenta nec uno die jaci, nec aedificium ipsum unius hominis  
labore in fastigium extrui possit. — Qui in rerum ecclesiasticarum  
originibus perscrutandis accuratori cura versantur, id sibi maxime  
persuasum habent, ethniam religionem, cui diversae Europae na-  
tiones, antequam ad Christum vocarentur, addictae fuere, ra-  
dices egisse adeo profundas, ut multorum saeculorum labor eas  
extirpare nequirit. Quin, omnium fere neophytorum religio-  
nem semipaganam fuisse, et populos successu temporis tantummodo  
a superstitione ethnica ad puriorem christianaem religionis cognitionem  
sensim sensimque transiisse, quis est, qui neget?

In Lithuaniae gente alia insuper exstitit ratio, cur salutaris  
evangelii lux sero tandem, multisque nonnisi difficultatibus superatis,  
exoriretur iis qui, (Vatis sacri ut verbis utar) in tenebris et mor-  
tis umbra sedebant. c) Bella nempe per hina saecula contra Crucigerorum  
impugnations a Lithuaniae magnis invicem cladibus d)

siae Historia, Per. VII. §. 14. pag. 335. C. Fr. Staedlin, Historia  
universalis eccl s. christiana, Per. V. §. 4. pag 194.

c) Jesaiæ Vaticin. cap. VIII. v. 23; cap. IX. v. 1.

d) Petrus de Dusburg in Chronico Prussiae P. III. C. 216. pag. 298. Ed.  
Hartknoch initium belli cum Lithuaniae in Anno 1283 ponit, ita narrans:  
Anno MCCLXXXIII. eo tempore, quo ab incepto bello contra gentem  
Pruthenorum fluxerant jam LIII anni, et omnes nationes in dicta terra ex-  
pugnatae essent et exterminatae, ita quod unus non superesset, qui S. Ro-  
manæ Ecclesiae non subjeceret collum suum, Fratres domus Teutonicae  
contra Gentem illam potentem et durissimam cervicis, exercitatumque in  
bello, ultra flumen Memelæ in Terra Lethoviae habitante, incepserunt  
bellum: Frater Conrad de Thierberg cum magno exercitu transiit glaciem  
Memelæ et castrum Bisenam, multis captis, multis Lithuaniae trucidatis,  
in cinereum rededit. Cap. 268. Anno Dom. MCCLXXXIV. Idem Magister  
Prussiae nondum bello infidelium satiatus, processit contra Castrum Gar-  
tha (hodie Grodno) aestivo tempore, Bellum tum ortum est inter eos, quod

gesta omnem in animis populi extinguebant cupiditatem, ab iis  
doctrinam caelestem accipere, quorum manus, sanguine in-  
quinatae, nil nisi agrorum deuastationem, ignem, gladium et  
mortem pree se ferebant. Lithuaniae haud perperam judican-  
tes, eandem sibi sortem imminere, quam Prussiae, Livoniae  
et Curoniae incolis, qui a Crucigeris in servitutem redacti, pa-  
triis arvis depulsi (glebaeque, ut dicunt, exterorum adscripti) vi-  
tam degere miserrimam coacti sunt, pro aris ac locis, donec  
ultimus ex iis ceciderit, dimicare apud se constituerunt. Nec id  
temiere ab iis actum. Quid enim, pro dolor, homini superest,  
bono in terris optimo amisso? Omnis omnino e vita tollitur vir-  
tus, humanitas, animi ad altiora elatio, morumque decor, su-  
blata libertate. — Quo igitur certamine diurno invictis semper  
armis pugnasse, libertatemque fortitudine patriae suaem vindicasse,  
haec populo Lithuaniae nunquam diminuenda manet gloria.

In priori tractationis nostrae parte luculenter demonstravimus,  
vestigia religionis christianaæ apud Lithuaniae jam centum et triginta  
annos ante Magni-Ducatus Lithuaniae cum Regno Poloniae unio-  
nem, inveniri. Constat enim, Mendouium, qui ab aliis Mendog  
sine Mendolphus vocatur, e principibus Lithuaniae primum  
fuisse, qui, pace cum Crucigeris inita, anno Christi, millesimo  
ducentesimo quinquagesimo primo, in aruis Novogrodecensibus palam  
sacris christianis initiatus est. Quo in ritu solemni, ab Henrico,  
Episcopo Culensi peracto, et sexcentis regni proceribus una bap-  
tizatis, coronam a Pontifice romano, ab Innocentio IV. missam sibi

formidolosum erat inspicere his fortiter impugnantibus, illis fortius repug-  
nantibus. Tandem, sic placuit Deo, Fratres potenter irruerunt et occisis  
omnibus, per in endium destruxerunt arcem. — Hartknochius in nota b)  
Capitis praecedentis haec adjectit: Winricus a Kniprode, Magister gene-  
ralis, Annales recensendo, suo jam tempore deprehendit, bellum cum Samo-  
gitis octoginta quinque annos gestum fuisse, in acie occubentibus e No-  
bilibus 11000, e rusticis 16800. Vid, Caelest, Mislera in Praefat. ad Ma-  
xuale Pruthenicum,

imposuit. e) His igitur, e documentis scriptorum f) satis fide dignorum, relatis, superest, ut in historiam religionis subsequentium principum imperio, a Mendogo usque ad Jagellonis aeum, per duorum fere saeculorum spatium, paulo accuratius inquiramus.

Priusquam autem in enarrandis novae ecclesiae in Lithuania mox crescentibus mox decrescentibus rebus pergamus, liceat nobis de eo, quod regi Mendogo occasionem praebuit, ad fidem chri-

e) *Kojalovitius* refert, Borysum (alias Boris) e Lithuaniae principibus primum fuisse, qui christianam fidem suscepit. *Vid. Histor. Lithuaniae*. P. I. L. 3. pag. 73. 74. „Polociae interea imperabat Borys, Ginvilis filius. Firmauerat ille res suas inter finitimos nova affinitate, e connubio cum filia Ducis Tweriae. Domi etiam multum conciliaverat subditos religionis similitudine. Primus enim ille e Lithuaniae principibus *sacra christiana suscepit*. Cujus rei memoriam hucusque conseruat colonia ad ripam fluvii locata et de auctoris nomine Borysonia dicta. Quod vitae supererat inter sacella et aras acturus videbatur; ita totas opes ac studium ad tempora exstruenda verierat. Monumentum christiana in eo pietatis, nunc etiam ostenditur, ingens sexum, e mediis Dunae vorticibus eminens, quina cruce signatum, cum rudi hac, sed solidae et exculte pietatis inscriptione: „*Miserere Domine, mancipio tuo, Boryso Ginvilis filio.*“ — Mortuus est hic Borys Anno 1220, triginta annos ante Mendogi imperium. Cujus Principis in priori schediasmati nostrae sectione non fecimus mentionem, quoniam non in Lithuania ipsa sed in nova, Russis olim subjecta, provincia vixit. Quae quidem provincia Polozkiana jam ante Fratrum teutonicorum adventum ad christiana sacra perducta erat. Unde Woldemirus, quem Arnoldus Lubecensis et Henricus Lettensis regem nuncupant, fratri Episcopi Rigensis, Theodorico filiam in uxorem dedit. *Vid. Arnoldi, Abbatis Lubicensis Chronicon Slavorum Lib. VII. c. 9. pag. 516. Ed. Bangert — Gruber Orgiues Livoniae, seu Chronicon Livonicum ad annum 1186, coll. 1210. pag. 84. n. 13.*

f) *Kojal. historia Lithuaniae*. P. I. c. 4. pag. 96. *Alex. Guagnini Sarmatiae Europ. descriptio*. Fol. 5. Reinald. *Annal. Ecclesiast. T. XIII. Pag. 677.* etc. Arndt's Liefländische Chronik Th. 2. S. 53. Gebhardi Geschichte von Liefland, Esthland, Curland und Semgallen. Abschnitt I. §. 48. S. 385. Tetsch Curländische Kirchengeschichte. Th. I. Kap. 2. §. 10., ubi ex errore baptismus Regis Mendogi ad annum 1255 refertur.

stianam transeundi, pauca dissere. In diversas hac de re scriptores vetustissimi abeunt sententias. Auctores Lithuanici, praeeunte Striukowio, referunt, Mendogum ex sua ipsius voluntate ad vexilla christianorum se contulisse, cum opes eorum de die in diem augeri, animadverteret. Scriptores Livonici g) autem, Magistrum Ordinis teutonici auctorem fuisse Mendogo, ut christianam fidem amplectetur, e documentis Rigensibus et epistolis Pontificum Romanorum, confirmare student. Audiamus ideo et alteram partem, historiam de Mendogi baptismo ita referentem: Anno Christi, millesimo ducentisimo quinquagesimo primo, Magister Livoniae, Andreas de Stuckland, omnes provinciae praefectos, ut consilium de paganis caperent, convocabat. Hi ad mitiora flectere animum et infidelium quaerere amicitiam suadent. Hinc legati ad Mendogum mittuntur, qui de religione christiana admittenda cum eo paciscentur. Cui invitationi Mendogus eo facilius praebuit aures, quod legati, regias fascias obtinendi, spem ei injicerent. Quibus peractis, Magister Livoniae magna Equitum comitatū in castra Mendogi se confert et amicitiae foedere juncto, ab eo impetrat, ut Samogitiae partem cum aliis quibusdam regionibus Ordini Teutonico cedat, urbique Rigensi praevilegium, mercaturaे negotia per totam Lithuaniae exercendi tribuat. h) — Ista quidem de causa, qua Lithuaniae princeps ad religionem christianam perductus sit, diversa scriptorum narratio ex ambigua regis agendi ratione, qui nec Ordinis teutonici amicitiam, nec populi sui amorem perdere voluit, exorta esse videtur.

g) *Rusow Chronica* der Provinz Liefland, Korth onde loffwerdig beschrieben etc. Rostock 1578. 4. S. 20. Matthaei, Veteris aevi Analecta pag. 145. His stipulari videtur Alex. Guagnini in Sarmatiae Europaeae descriptione fol. 5. ita de Mendovio loquens: „Postea Anno 1252. a Cruciferis Prussiae et Livoniae inductus fidem christianam cum nonnullis Lithuaniae et Pruthenis suscepit.“ — An vero Prutheni in hoc rito solemniter reuera adfuerint, in dubium vocari potest.

h) Arndt's Liefländische Chronic. Thl. 2. S. 52. Gebhardi Geschichte von Liefland etc. S. 382.

Eadem opinionum de primo Lithuanorum Episcopo, scriptoribus est dissensio. Kojalovitus, enarrata Mendogi regis christiani historia, Vitum quendam ad hanc ecclesiae dignitatem evectum esse, his verbis testat: „Tunc sacrorum per Lithuaniae Pontifex designatus est Vetus, religiosum institutum, ordinemque D. Dominici, sub S. Hiacinthi Magisterio secutus.“<sup>i)</sup> Alio modo rerum Livonicarum scriptores rem exponunt, quippe qui, Christianum, Ordinis teutonici sacerdotem, primum Lithuaniae Episcopum fuisse tradunt. Is enim, munere legati ad Mendogum regem felici successu peracto, ne praemio officiorum careret, Episcopus Lithuaniae renuntiatus et ab Alberto, Archeepiscopo Livoniae solemniter inauguratus est.<sup>k)</sup> — Quae quidem posterior relatio majorem mereri videtur fidem, quoniam tribus annis praeterlapsis, Mendogus literis ad Pontificem romanum datis, petiit, ut Christianus Episcopus ab auctoritate Alberti Rigensis, qui Metropolitanum Lithuaniae se gerebat, eximeretur. Quo facto, Innocentius IV. Bulla Kalend. Septembr. Anno MCCLIV. publicata, Episcopum Lithuaniae jumento, Archeepiscopo Alberto praestito, exsoluit.<sup>l)</sup>

His igitur praemissis, in enarranda ea, quae ante Jagellonem in ecclesiae christianaee primordiis obscuritate premitur, historia, pergamus. E vicina Russorum gente, quae saeculo decimo, praenente Wladomiro,<sup>m)</sup> Magno Duce, Christo nomen dederat, pri-  
mam evangelicae doctrinæ notitiam ad Lithuaniaos pervenisse, ex eo patet, quod provinciae novae, Moscovitis victoria ereptis, quae maximam partem regni Lithuaniae constituebant, e quibus coloniae

<sup>i)</sup> Kojalovicz Hist. Lith. Pars I. Lib. IV. pag. 97. 98. Schlözer Gesch. von Litthauen B. 2. §. 24. S. 42.

<sup>k)</sup> Balthasar Russowen Chronica von Liefland etc. S. 21. Gebhardi Gesch. von Curland S. 382.

<sup>l)</sup> Vid. Bulla Pap. in Rainaldi Annal. eccles. T. XIII. p. 697. 709.

<sup>m)</sup> Jos. Sim. Assemanni Calendaria Eccles. univers. Romae 1750 — 55. T. IV. p. 42 — 46: Alex. Guagnini, Descriptio Moscoviae, fol. 17. in Sarmatiae Europeae Descriptione. J. S. Semler Dissertatio hist. eccl. de initia christianaee inter Russos religionis. Hal. 1763. 4. Helmoldi Chronica

in alias provincias, teste Kojalouitio, nonnuquam abducebantur, non sacris christianis addictae erant. Principes ergo Lithuaniae, provinciis novis praefecti, quo facilius animos populorum sibi conciliarent, ad eorum sacra eo lubentius accedebant, quod in majore honore ab incolis habebantur, si eodem religionis vinculo cum iis con-  
tinerentur. Tres in exemplo sunt Lithuaniae principes, qui decem et quod excurrit annos, antequam Mendogus Christianus fieret, re-  
licta patria superstitione, in subditorum gratiam, ad christianam dis-  
ciplinam se converterent: o) Cieucivil, qui Polociae civitatis et  
provinciae praefecturam obtinuit, Vicundus, cui Vitepscia et Ar-  
duidus, cui Drucia et Smolenscia pars obtigit, eodem fere tempore,  
sacris christianis, ad Graecae ecclesiae ritum, initiati sunt. Cieucivil,  
alias Theophilus (quod nomen in baptismo acceperat) nuncupatus  
mox imperium regis detrectare et, foedere cum Equitibus Lithuaniae  
inito, patruo bellum inferre, ausus est. Post defensam Polociam  
contra Mendogi arma, Archeepiscopi Rigensis et Magistri Livoniae  
opibus, res suas valide firmavit, ita ut eorum gratia a ritu Graeco,  
nuper Polociae suscepto, ad Romanam ecclesiam transiret. Quo  
facto facillimam deinceps et fidem et benevolentiam apud Equites  
Livonicos habuit.

Constanti quidem animo Mendogus disciplinae novae adhaesit,  
donec odium populorum (imprimis Samogitarum) contra Equitum  
Germanorum tyrannidem, in flamman erumperet. Tum rex, ne-

Slavorum ed. Bangert, Lub. 1659. L. I. C. I. pag. 3. Nestor, Russische Annalen verglichen, übersetzt und erkl. von A. C. Schlözer, Gott. 1802 — 9.

<sup>n)</sup> Kojalovitii Historia Lithuaniae, Dantisci 1650. 4. Pars I. Lib. V. pag. 159 ad annum 1281.

<sup>o)</sup> Kojalovitus (Hist. cit. P. I. L. IV. ad annum 1240.) rem ita narrat: „Tres erant juvenes, belli pacisque artibus impigri et agendo maturi: Arduidus, Vicundus et Cieucivilio aut Theophilus. Hos, ut honoris specie longius a curia amoveret, ad exercitum proficisci (Mendogus) jubet. Juvenes, re feliciter inter hostes confecta, insignium in Russia civitatum potiti, cum jus impe-  
randi degustassent, patrui jugum non talerunt. Druciam et Smolensciae partem Arduidus, Vitepsciam Vicundus, Polociam Theophilus obtinebant. Ut subditos Christianos magis sibi conciliatos redderent, sacra christiana publice professi. Haec Mendogo belli movendi causa et primi inter Lithuaniaos civilis dissidiū atque prope amissae Reipublicae semina.“

cessitate coactus, a sacris christianis recedere, bellum contra Prussiam et Livoniae oppressores movere et amissas provincias armis recuperare, jam suum esse judicavit. p) Magno igitur exercitu Masoviam aggressus, universam provinciam crudeliter vastavit; inde signa infesta in propinquam Prussiam, ex insperato, intulit. Pagi et oppida, nuper aedificata, flammis absurbebantur, in templo potissimum saeviebatur, nullusque omnino e Christianis captiuus gladio evadet. Recuperata per eam expeditionem Samogitia et Curonia, ne frusta Mendogus Prussiam tentasse videretur, per universam provinciam animos subditorum ad defectionem sollicitavit. Electis igitur inter se Ducibus, Prussi religionem christianam ejurarunt, atque condicione, per omnem provinciam templo diruerunt. Ita Crucigeris domestico bello implicatis ulciscendi ratio ademta est. His rebus peractis Mendogus, regni Lithuaniae restaurator, domi, dissidio inter cognatos exorto, ab Troynato et Dumando interemptus est.

Post obitum Mendogi (quem subsecuta est Troynati interfictio) anno millesimo ducentesimo sexagesimo quinto, filius ejus Volstinicus, qui religionem christianam, in defectione patris, constanter retinuit, plenis comitiis, Magnus Lithuaniae dux renuntiatus est. Is, e juvenili aetate, ob humanarum rerum vicissitudinem, animo ad caelestia inclinato, monasticae vitae institutum secutus, sub Gregorii Polo-

p) An Mendogus reuera defecerit a religione christiana, ambigitur. A. L. Sclozerus in Historiae Lithuaniae l. II. §. 25. pag. 42. allatis Kojalovitii verbis: „At Mendogus ad Ethnicas aras sacrificiis impie fidem violavit“ haec subnectit: „Ob er jemals opferte, ist die Frage.“ Nobis quidem res in dubium vocanda videtur: 1) quia Mendogus filium suum Volstiniicum, alias Vojele, vitam monasticam agentem, procul Novogrodeco ad ripam Nemeni, Monasterium extruxerat, ibique cum pluribus sociis pietatem christianam exercere, non impeditiv. Vid. *Kojalovitii Hist. Lith.* P. I. C. IV. p. 112. *Alex. Guagnini Descriptio Lithuaniae* fol. 6. — 2) quoniam in literis a Mendogo, Anno Domini MCCLIX. septimo Idus Augusti, non diu ante obitum ejus datis, de Episcopo Lithuaniae sermo est, cui reditus e terra Samogitiae assignantur. Extant hae literae, ex Archivi Regiomontani documentis descriptae, in Chronico Lucae Davidis, l. IX, nec non in actis Borussicis P. III. p. 738. 744. Verba haec sunt: „Insuper dedimus Eratribus ordinis Teutonici totam terram Seymeithin (Samogitiae) illis dimittaxat bonis in ipsa Seymeithia exceptis, quae venerabili Patri ac Domino, Episcopo Lithuaniae contulimus.

nini disciplina, Halicie complures annos vixerat. Inde, Lithuaniae ad christiana sacra traducendorum spe, rursus in patriam transiit, atque haud procul Novogrodeco ad ripam Nemeni, duo Monasteria, patris permissione, exstruxit, ubi cum pluribus ejusdem vitae e Lithuania sociis rem christianam religiose ac constanter agebat. Ad nuncium patris fratrumque (Ruchii et Repicassi) a Troynato caesorum, ne eadem sibi clades inferretur, Pinskum aufugit, Theophilo Polocensi sanguinis ulationem relinquens. Missi ad eum sunt legati, qui consilium, in comitiis publicis captum, ei deferrent atque ad paterni regni haereditatem capessendam eum invitarent. Volstinicus preces legatorum, quod susceptae semel vitae rationi adversarentur, constanter initio repulit, dicens: se a cupiditate regnandi, quoniam Deo vitam terrestrem devoverit, longe remotum habere animum. Sed cum illi urgerent solliciti, et periturae discordiis patriae miseriam saepius ante oculos ponerent, cessit tandem legatis. Cum Kiernoviam pervenisset, exceptus multa honoris atque gaudii significazione, solemnri ritu, Magnus Lithuaniae Dux inaugurus est. Nunquam tamen commoveri deinceps poterat, ut omnem vitae monasticae rationem abjiceret, sed quotidie supra purpuram regiam, in signum pietatis christiana, vestem nigrum ferre solebat.

Volstinico imperante Jatwingi sive Jazyges, q) ab antiquissimis inde temporibus cum Lithuaniae amicitiae foedere juncti, quibus magna etiam linguae, religionis et morum cum Prussiae, Lettoviae, Samogitiae et Lithuaniae incolis erat conformitas, tandem bello devicti, christianam fidem suscipere coacti sunt. Gens ista bellicosa et ferox, quam lex majorum in pugna retrocedere vetuit, saepenumero in vicinas Poloniae provincias irruere magnamque inde praedam auferre conabatur. Boleslaus Pudicus tum inter Polonus rerum

q) De origine Jazygum, quos Nestor, rerum Russicarum vetustissimus scriptor, Jatwaegos nominat, in ambiguo versantur erudit. *Cromerus*, de orig. et reb. gest. Polon. Bas. 1555. p. 74. 75. refert, reliquias quasdam Jazygum ad Tibiscum fluvium in Hungaria extare, nomen antiquum retinentes, a quibus, quodam tempore in median Sarmatiam progressis, colonias huc deductas esse. *Praetorius* in Orbe Goth. I. p. 112. scribit: „Hi itaque Jazyges a Romanis pulsi, pars ad Rhenum est ducta a Constantio, illisque arua tributa, pars ad Russiam cessit, ubi agros Podlachios occuparunt et ad Boleslai usque Pud. tempora retinquerunt.“ E. Hennig, in *Commentatione*, de rebus

potiebatur, vir bello impiger neque infortunatus; sed nunquam hostem intra fines suos occupare poterat. Jatvingi enim, praedatorum more, repentina irruerant, miraque celeritate, agris peruanstatis, antequam ad arma concurrerent incolae, cum praeda in sylvas se recipiebant. Bellum itaque, ulciscendi causa, in ipsam Jatveziam rex Polonorum transferre statuit, cum Lithuani domesticis motibus distracti, auxilio sociis adesse non possent. Omnibus igitur copiis apud Zavichost contractis, opportuno tempore, exercitum in Podlachiam ducit; composito semper incedens agmine, hostem aggreditur sub auroram ipsam X. Kal. Iul. MCCLXIV. Aequali perfidacia, dubio Marte, usque ad solis occasum pugnatur. Tandem Polonorum multitudo Jazygum aciem ad paucos redigit. Komatus, Jazygum princeps, pugnam restituens a Polonis impetu cinctus, sub gladiis cadit. Attamen Jatwingi, aut vincere aut mortem oppetere fermentes pedem reserre nolunt, fortiter dimicantes donec fere omnes occiduntur. Tota eorum terra potitus Boleslaus colonos agrestes et e pugna superstites christianam fidem profiterijussit, et datis literis ad Pontificem romannum petuit, ut in reliquis ejus gentis Episcopum constitueret.

Quodsi vero de Episcopo Jatweziae nullam amplius rerum Poloniae et Lithuaniae scriptores mentionem faciunt, inde conjicere licet, sedem episcopalem intra fines hujus populi non erectum nullumque ad illud munus e clericorum numero vocatum esse. Quindecim annis praeterlapsis Narimundus, Magnus Lithuaniae Dux, ut terram Jatvingorum rursus in potestatem suam redigeret, exerci-

Jazygum seu Jazvingorum, Regiom. 1812. eandem gentem a Strabone, Ammiano Marcellino et aliis commemorant, ex Asia in Ungariam et Polonię transgressum et apud Prussos in Sudia extirpatum esse, comprobare studuit. De lingua illius *Martius de Mechoria* in Chronico Polonorum, Crac. 1521. fol. L, II, c. 14 haec affert: „Quatuor ergo gentes: Prutheni, Jacevingi, Lithuani eum Samogitis et Lothali (Letgali) habent propria lingua, in paucis consonantia et convenientia.“ Errat in isto iudicio de Eugna, Polonicus scriptor. Etenim predictae quatuor gentes non nisi in Dialecto inter se differunt, imprimis quod ad linguam Prussicam, Lithuaniae et Letticam attinet, quae tamta inter se gaudent convenientia, ut alteram altera illustreret et omnes facile possis intelligere, si unam earum calcas. Exciencia duntaxat sunt vocabula a vicinis populis recepta, quo Gothica in Prusso vobis, Polonica in Lithuaniae et Finnica in Lettico idiomate, referenda sunt.

tum in Podlachiam duxit. Quo facto, reliquiae hujus gentis, vetere odio a Polonis aversae, cum primum Lithuaniae copias conspicerent, a sacris christianis et Polonarum imperio desciverunt. Omnen vero istam deinde regionem Narimundus fratri suo Troydeno attribuit, qui coloniam ad ripam Bubrae traducens arcem Raigrod in finibus Mazoviae et Prussiae exstruxit, r)

Post obitum Volstinici, qui Anno millesimo ducentesimo sexagesimo septimo a Leone, principe Wladimirensi interfectus est, sequentes Lithuaniae Magni Duces, a Giermundo usque ad Olgerdum, quamvis ipsi idolorum cultui indulgerent, Christianis tamen, in oppidis et pagis, juxta Ethnicos habitantibus, *sacra sua exercendi copiam* fecerunt.

Nec desuerunt principes, qui religionem christianam publice professi insigne exemplum popularibus suis preeberent; e quibus, Rimundus, Troydeni filius, ob animi moderationem et constantiam, praeceteris dignus fuit, qui a scriptoribus, laudaretur. Is enim divitias mundanas et imperii gloriam contemnens rerum ciuilium tractatione se abdicavit et baptismō accepto, quo pietatis studium strenius exerceret, in Monasterium Volstinici se contulit. Quum autem a nuntiis compertum haberet, patrem suum ex insidiis Duimandi necatum esse, tanta indignatione animum affecit caedes parentis, ut mox deserto claustro, reipublicae se redderet et ducens bello contra perduellem patrum officeret. Ab aris et sacellis repente miles et dux, Laurus (quod nomen in baptismō acceperat) animo quam rerum experientia promptior, contra imperatorem, qui inter arma et pericula aetatem exegisset, in Deo et causae aequitate consisus, quamdiu prima feruerent studia, ad pugnam properavit. Proceres, ex defuncti principis reverentia Lauro addicti, e Lithuania Samogitia et Novogrodensi terra armatos contraxere, quos feruentes adhuc ardore statim contra hostem duxit. — Commissio praelio Laurus campum obtinuit, ipse hac parte victoriae maxime laetus, quod

1) Quodsi probari possit sententia a cl. Henrigio, in Dissertatione Iudicata, propo:ita, reliquia Jazygum in Sudavia habuisse, linguae eorum a veterum Prussorum idiomate non diversam fuisse, credas necesse est. Nomina enim, quae sola nobis ex hac gente uersunt, facile e lingua Lithuaniae derivari possunt: v. c. *Taisol*, lith. *Taiwelis* pater; *Komatus* lith. *Kumatis*, cog-

Daumandum, patris interfectorum, propria manu occiderat. Dimisso tandem exercitu, Kiernoviam, ubi ad comitia habenda conuentus iudic peace fuerat, victor maturavit. Cum ex communi omnium voto Senatus, peracta gratulatione, eum obsecraret, ut principatum, quem fortiter defendisset, jam paterna hereditate et proprio merito suum, occuparet, Laurus respondit, se, christianis sacris addictum, ex sacramento, in supremi numinis honorem, vitam in Monasterio, ne in levitatis et inconstantiae vituperium incurreret, peragere velle. Quare, si vel recentis beneficii memoria, vel haereditatis jure apud templicam sibi agere permitteretur, illud unicum orare, ut eum principem constituerent, in quem ipse jus suum transferret, simul que Vitenem, curiae olim apud Troydenum Magistrum, designavit; palam sancte testatus, propositum sibi omnino esse, ad inchoatam discipliniae religiosae philosophiam regredi. Vitenes igitur, Lauro auctore, omnium consensi, Magnus Dux renunciatus est. Nullam deinceps unquam Rimundus reipublicae partem attigit; haud procul Novogrodeco, ad ripas Nemeni fluvii, inter monachos constanter in ultimum diem, susceptam vitae rationem tenuit: s)

Numerum Christianorum in vulgari etiam populo hisce temporibus apud Lithuanos non paruum fuisse, ex eo patet, quod in scriptoribus historiae Prassiae vetustis legimus, Magistrum Ordinis teutonicum, Conradum a Thierenberg, Anno, Miliesimo ducentisimo, octogesimo tertio, copiis magnis Memelam transgressum, e Lithuaniae terra mille et sexcentos cum muliere et infante captiuos in Prussiam abduxisset t) quibus in Sambiensibus agris, quoniam religio-

natus; Jodetus lith. Jūdėtis, niger facie; Rausonodos lith. Raudonatis, ruber facie; Mestor lith. Mēstorius, oppido habitans, (vox e slavonica lingua recepta) et alia. Uude verbis in Adelungi Mithridate P. II. p. 700. „Aus diesen Nahmen lässt sich nichts machen.“ non assentire possumus.

s) Cel. Schloezer in Historia Lithuaniae, lingua germanica conscripta, I. II. §. 35, pag. 51, not. l. quae hic narrata sunt, in dubium vocat, quoniam cum historia Volstinici mire convenient. At ambae narrationes in eo diversae sunt, quod Volstinicus, claustro relicto, summos imperii honores sibi allatos non respueret, Rimundus autem a regnandi cupiditate alienus, in Monasterium rediret.

t) Vid. Lucae Davidis Chronic, Pruss. ed. Ern. Hennig. P. V. p. 54, quae quidem historia e Simonis Grunovii Chronic excerpta est. Unde ardenter optamus, ut vetustissimum istud, si Petri Dusburgensis opus excipias, Prussiae Chronicop, a defuncto Schützio nostro jam auspicatum, in lucem edatur.

ni christianaee addicti fuerunt, domicilia assignata sunt. Hujus coloniae, in Prussiam traductae, usque ad hodiernum diem in nomine pagi Lithuanici (Litthauisch-Dorf) reseruatur memoria. Deinde quibusdam annis praeterlapsis Ludevicus de Libenzell, Commendator Ragnitensis, navibus adverso fluvio usque ad Dubissae ostium ascendens, sedem idolatriae Lithuaniae, Romoveu) dictam, incolis omnibus occisis, funditus evertit.

Sed hic subsistere liceat. Superest universae adhuc saeculi usque ad Jajellonis aeuum historia ita pertractanda, ut religionis christianaee in terra Lithuaniae primordia investigemus; quam quidem tractationem, quum accuratori disquisitione egeat, in aliud oportum tempus reservamus.

u) Istum locum a Romove Prussico diversum fuisse, ex Petri Dusburgensis historia ipsa commonstrari potest. Is enim locum in Lithuania situm, Romene, illum in Prussia Romove nominat. Petri verba haec sunt: „Fuit autem in medio nationis hujus perversae, scilicet in Nadrovia, locus quidam dictus Romov, trahens nomen suum a Roma, in quo habitat quidam, dictus Crivve, quem colebant pro Papa. Quia, sicut Dominus Papa regit universalem ecclesiam fidei, ita ad istius mutum, seu mandatum non solum gentes praedictae (Prutheni Galindi, Sudini et. rel.) sed et Lethovini (Lithuani) et alias nationes Livoniae regebantur. Vid. Petri de Dushburg Chron. ed. Hartknoch. P. III. c. 5. p. 79. De Lithuaniae Romove eodem libro, cap. CCLII. p. 331. „Eodem tempore frater Ludevicus de Libencelle fuit Commendator de Raganita, qui cum suis fratribus et armigeris multabella gloriose gessit contra Lethovinos. Navale bellum multiplex habuit, unum versus Anstechiam (Augsten) terram regis Lethovinici, in qua villam dictam Romene, quae secundum ritus eorum sacra fuit, combussit, captis omnibus ocellis.“ Strykowius, I. III. Hist. Lith. p. 74. eum locum collocat in Samogitia ad Dubissae ostium, ubi in Nemennum se exonerat. Ex eo Kojalovitus haec refert: „Ubi Chronos seu Memela fluvius per Russiam, Lithuaniae et Prussiam aquas, cursu collectas, devoluit, adverso flumine ingressi (advenae) ad ostium Dubissae amnis, loco commodo, inter amoena camporum late a litore excurrentium planitiem, coloniae novae fundamenta jecerunt. Roma nova tunc dicta est, Kryvi Kriweyti, postea sacrorum apud Lithuaniae praesidis sedes: ab Equitibus Ordinis teutonicum innunditus excisa.“ — At nomen istud e lingua Lithuaniae, quae cum vetere Prussorum idiomate convenit, fortasse melius derivatur. Romanas enim et rannmus, Adjectivi Lithuaniae, vim quietis et silentii indicat.

Restat autem quod gravius est atque praestantius omnibus ejusmodi disquisitionibus ecclesiastico-historicis, (quo ducere nos omnis eruditio apparatus debet) nimirum exhortatio ad pium gratumque animi sensum, quo *Vos, Cives carissimi*, uti debetis insigni beneficio, quod Deus, optimus maximus, Seruatorem nostrum e sepulcro ad vitam revocans, universo generi humano exhibit. Haec Domini nostri Jesu Christi e mortuis resurrectio, cum optimum sit solatium animi nostri, firmissimum fidei fundamentum et felicitatis futurae sperandae causa praestantissima, ad virtutis studium sectandum, validissimum suppeditat argumentum. Vestrum igitur erit, *Cives dilectissimi*, Solemnia ad memoriam ejus recolendam instituta, eo modo celebare, ut fructus animi dulcissimos, quibus frui Vobis in hac atque futura vita licebit, ex iis percipiatis: præsertim ut vitam Vestram secunduni Apostoli in *Epistol. ad Romanos VI. 4.* admonitionem:

*Ἐν ὕστεροι ἡγέρθη Χριστός ἐπειρωτῶν δια τῆς δόξης τῆς κυρίου, ἵνα ναι γένεται  
ἐν μανότητι Ζωῆς περιπτερίσωμεν;*

vitae Christi renovate per animi in melius mutationem, modestiae et pietatis studium similem reddatis. Utinam exemplum discipulorum imitemini Emahuntem proficiscentium, qui, teste Luca, Evang. XXIV-32. Jesum e mortuis rediuitum conspicientes, laetabundi exclamabant: „*Nonne animus noster intus ardebat, cum nobiscum colloqueretur in via atque Prophetarum oracula interpretaretur?*“ Animus Vester intus exardescat amore erga eum, qui sapientiae caelestis optimus magister, dux et heros salutis a patre constitutus est. Supremum ergo Moderatorum, qui juventutem Vestram tot beneficiis ornavit, precibus flagrantissimis exorate, ut fidem, animi tranquilitatem et spem futurae vitae firmissimam, e gratiae suæ plenitudine, Vobis conferat.

Quod ut faciatis et verbi divini administris, qui per hos dies laetissimam doctrinae christianaæ partem concionibus exponent, attentos docilesque Vos præbeatis, ex animo Vos iterum iterumque admonitos esse cupimus.

P. P. in Academia Albertina; Regiomonti, primo Pa-schatis die A. MDCCCXIX.